



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Davidis Regii Prophetae Psalterium**

**Moritz <Hessen, Landgraf>**

**Smalcaldiae, 1593**

**VD16 B 3258**

Octonarius secundus. Beth. In quo corrigit adolescentio &c.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68864)

Incedunt etenim Domini qui tramite recto,  
Cæcus in ambages non rapit error eos.  
Tu custodiri tua vis mandata, iubesq̄,  
Ut seruent homines iusta tua imperia.  
Talibus optàrim me tinctum moribus esse,  
Qualibus ipse cupis me tua iussa sequi.  
Non turpis pudor aut confusio me vlla grauabit,  
Mente reuoluentem sancta statuta tua.  
Sed tibi, quas possum, refero, Deus optime, grates,  
Quòd me iura doces iusticiamq̄ tuam.  
Fac, Deus, accipiam finem, fructumq̄ laborum,  
Obseruemq̄ animo splendida dicta meo.

Octonarius secundus.

B E T H,

In quo corrigit adolescentio &c.

**B**ellè quis poterit iuueniles figere plantas?  
Quis faciet promptus, quod tua verba iubent?  
Nunc ego, te, iuuenis, Deus, imo pectore quero:  
Ne me desertum deuius error agat.  
Namq̄ tua eloquia obseruans ita mente recondo,  
Ut memor à grauibus lapsibus abstineam.  
Dirige me, benedicte Deus, tua iura petentem,  
Dignus

*Dignus ut es semper laudibus eximiis.  
Iura, meis labiis celebrans, tua commemorabo,  
Laude uehamq; oris iudicia ipse tui.  
Non mihi sic ullos thesauros posse placere,  
Crede, tua ut leges & tua iussa placent.  
Quæ mandas meditor, te grata prædico uoce,  
Et tu pacta sequens ipse, tuasq; uias.  
Scrutariq; tuas leges mihi summa voluptas,  
Immemorem uerbi non iuuat esse tui.*

*Octonarius tertius.*

*G I M E L.*

*Retribue seruo tuo, &c.*

*C**ura tui tibi sit fidi commissa ministri,  
Et rege me uerbo uiuificante tuo.  
Ut tua, care pater, mihi sint mysteria nota,  
Hæc animi, ut cernam, lumina pande mihi.  
Hospes sim quamuis peregrinus, et aduena mundi:  
Non tamen indignus qui tua iura sciam.  
Iudicii secreta tui desidero scire,  
Hinc animæ uis est languida tota meæ.  
Elatos perdis, mala cuncta rebellibus infers,  
Obiurgas tumidos, qui mala probra uomunt.*

*Tu pro*